



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685


§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

NUMERUS NONUS.

Acta præclara, summorum Pontificum, qui Eugenii III. zelum pro Terrâ Sanctâ æmulati sunt, ex quibus manifestum est curam Sacri fœderis in Turcam, maximos Pontifices, maximè decere, esseq; quasi hæreditariam Romanis Præsulibus.

§. I.

 Uapropter ut ad Pontifices, Christi in Ecclesiâ militante Vicarios, & Sacri Belli tubicines redeam, Eugenii III. pro Terrâ Sanctâ zelum æmulati sunt Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cœlestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. cui mox succedens Innocentius IV. testibus Platinâ, Onuphrio, & aliis, Legatos per Franciam, & cæteras Provincias misit, qui fidelibus suaderent militiam Christi suscipere, & Sancti Ludovici signa, castra-

que in Terram Sanctam sequi. Ad eandem Christianos incitavit Alexander IV. Urbanus IV. Nicolaus IV. Innocentius VI.

Eugenius IV. verò Pontificatum iniens anno Domini 1431. in Turcas mari classem, terrâ exercitum, Legato Juliano Cesarino Cardinale misit : ac Duce Ladislao Poloniae Rege triginta Turcarum millia uno prælio inter Hadrianopolim, & Danubium cecidit. Tunc quoque Joannes Hunniades à Ladislao Transilvaniae Præfectus, multos Amuratis exercitus delevit, Moldaviam recepit, maximam Serviae & Bulgariae partem victricibus armis percurrit.

Eugenio IV. succedens Nicolaus V. anno Domini 1447. vehementer institit, ut Bellum communi omnium Christianorum consensu in Turcas decerneretur ; quos jam parare arma contra Constantinopolitanos senserat : & eâ de causâ Cardinalem Rutenum Constantinopolim miserat, qui Imperatori, & civibus auxilium polliceretur ; si ad Catholicam fidem, ut in Concilio Florentino promiserant, re-

dire voluissent; sed illis in schismate persistentibus, iustâ Numinis vindictâ, Mahomet Turcarum Imperator, Constantinopolim paulò post expugnauit, anno Domini 1453. ac occiso Imperatore Palæologo, crudelissimè, urbem ferro, flammaque vastavit, teste Chalcondilâ *Lib. 8.* & aliis: cujus rei labem Pontificatui suo impactam, dum abolere, coactis in Turcas copiis studet Nicolaus, arthriticis doloribus extinguitur.

Nicolai studiis insistens successor Calistus III. creatus Pontifex anno Domini 1455. illicò Turcis Bellum indixit. Repertum est in scrinio ipsius hac de re votum, antè Pontificatum hisce verbis futuri præfagis conceptum.

„ Ego Calistus Pontifex Deo omni-
 „ potenti voveo, & Sanctæ Indivi-
 „ duæ Trinitati, me Bello, maledi-
 „ ctis, interdictis, execrationibus, &
 „ demum quibuscumque, rebus po-
 „ tero, Turcos Christiani Nominis
 „ hostes sævissimos persecuturum.
 Quamobrem illicò Prædicatores per
 totam Europam misit, qui Christia-
 nos omnes ad arma contra Turcas

concitarent, quin & per Legatos Usū
Cassanum Persarum Regem contra
eosdem accendit.

Ipse sedecim triremes Romæ ædifi-
catus in hostem misit, Ludovico Pa-
triarcha Aquileiensi præfecto, qui
triennio maritima hostium, Asiano-
rum vexavit, insulas quasdam cœpit,
ac magnas clades hostibus intulit. Al-
fonfus autem Rex, & Burgundiæ
Dux Crucis signum suscipientes, itu-
ros se quoque in hostem profitebantur,
vel armatos milites eò missuros; jus-
sit insuper Calistus, in Meridie cam-
panæ sono fideles admoneri, ut ora-
tionibus eos juvarent, qui contra
Turcas dimicabant. Hac ratione par-
ta fuit illustris victoria: Christiani
enim, Duce Joanne Vaivoda, adhor-
tatore Joanne Capistrano Minoritâ
apud Belgradum anno Domini 1456.
sexaginta Turcarum millia cecide-
runt; captis centum sexaginta Bellicis
tormentis, Mahometes tyrannus sa-
cius fugâ salutem quæsit. Eâ victo-
riâ Pontifex, Festum, idest Officium
Solemne Transfigurationis J E S U-
CHRISTI die sexta Augusti instituit.

Ita Platina, *Onuph. Geneb. in Chronol. Suarez To. 1. de Relig. l. 2. c. 5. Azor. Tom. 2. l. 1. c. 15.* Actum de crudelissimo hoste tunc fuisset, si Christiani Principes omissis intestinis odiis, & Bellis, terrâ ac mari tantam victoriam profecuti fuissent sicut Calistus monebat, & urgebat. Verùm, dum illi se-gniter rem Christianam agunt, Turca resumptis viribus, Trapezuntem, prius, Imperatore interempto, Bosniam deindè, Rege capto atque interfecto, cœpit. Prævidebat hæc ex specula Calistus, & gemebat, nec cessabat litteris, & Nunciis Principes Christianos adhortari, ut in tantis malorum periculis, oculos aliquando aperirent, frustra remedia deinceps quæsituros ubi jam hostis invaluisset. Vide hîc quàm Pontificibus ex officio, continua, & quasi hæreditaria fuerit cura Sacri Fœderis contra Turcas modis omnibus fanciendi: & quantis conatibus Principes Christianos, boni Pastoris sollicitudinibus obsecundare, expediat, ad universi Christiani, orbis salutem. Quapropter Calisto III. succedens Pius II. magni animi, sa-

pientiaë, facundiaë & zeli vir; con-
 ventu Principum è totâ Europâ Man-
 tuæ indicto, nervosâ & efficaci ora-
 tione iisdem persuasit, ut Bellum
 communi omnium decreto Turcis in-
 diceretur. Verùm decretum hoc infre-
 gerūt mox intestina Bella, quibus Ger-
 mani, Hungari, Britanni, Hispani,
 Itali in se mutuò arma verterunt. Ste-
 tit tamen in sententiâ animosus Ponti-
 fex, dumque classem, quæ passim in
 portibus superi & inferi maris ad
 tantum Bellum fuerat ædificata, at-
 que Venetorum Ducem Belli socium
 Anconæ expectat, diutinâ & lentâ Fe-
 bri afflctatus moritur anno Domini
 1464. Pontificatus 6. Sepultus in Basi-
 licâ Sancti Petri cum hoc elogio: Pius
 „ II. Pontifex maximus, natione Tuf-
 „ cus, Patriâ Senensis, sedit annos sex.
 „ Brevis Pontificatus jugis fuit Gloria.
 „ Oppugnatoribus Romanæ Sedis,
 „ intra, atque extra Italiam restitit,
 „ conventum Christianorum Mantuæ
 „ pro fide habuit, Catharinam Senen-
 „ sem inter Sanctas Christi retulit,
 „ cultor justitiæ & Religionis. Ad-
 „ mirabilis eloquio, vadens in Bel-

lum quod Turcis indixerat, Anco-
 nae decessit: ibi & classem paratam,
 & Ducem Venetorum cum suo Se-
 natu commilitones Christi habuit.

§. II.

Plo II. successus est Paulus II. an-
 no Domini 1464. qui accepto
 nuncio Turcas captâ Epiro, in Illiri-
 cum iter parare, Legatos misit ad Re-
 ges, eos oratum ut compositis rebus
 suis, de Bello Turcis inferendo ad
 propulsandum injuriam Christiano
 Nomini factam cogitarent: & seriò
 totis viribus incumberent. Paulum II.
 excepit Sixtus IV. anno Domini 1471.
 qui ut Christianos Principes inter se
 dissidentes ad concordiam revocaret,
 & Sacro in Turcas foedere fociaret,
 Bessarionem Cardinalem Nicenum
 misit in Galliam, Rodericum Bor-
 giam, in Hispaniam; M. Barbum, in
 Germaniam & Pannoniam; Olive-
 rium Carafam Maritimæ 24. trire-
 mium Classi præfecit. Hisce junxere se
 quinquaginta Venetorum, 24. Ferdi-
 nandi Regis Aragonum, adeo ut illis